



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXLIX. Quare signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus universorum venerit ad iudicium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXLIX.

Cur signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit?

*Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. Matth. 24. 30.*

I.

Cùm quondam DEus in veteri lege supra populum suum benedictionem aut maledictionem pro æqualitate meritorum aut demeritorum per Sacerdotes aut Levitas voluit pronuntiari, priùs arcam fœderis in medium vallis portari jussit, juxta quam ex una parte in monte Garizim stare debebant sex tribus de populo, & ex altera parte arcæ sex aliæ tribus in monte Hebal: Arca autem Domini in medio populi in valle per Sacerdotes in sublimi, ita ut ab omnibus conspici posset, tenebatur; & sic magna & elata voce præscripta à DEO benedictionis & maledictionis formula in transgressores legis recitata fuit, cui omnis populus succlamabat: *Amen.*

En insignem typum futuri judicii universalis, ubi ex una parte stabunt oves electæ, & ex altera parte hædi ab ovibus divisi, istæ ut benedictionem percipiant: *Venite benedicti Patris mei*, illi verò ut æternum maledicantur: *Item maledicti in ignem æternum.* Per arcam autem fœderis, quæ in medio populi stabat, rectè SS. Crucem intelliges, quæ à SS. Patribus vocatur *arca salutis*, hæc, inquam, arca stabit pendens in aère in valle Josaphat, & sole ac cunctis astris splendidior perdurabit in conspectu omnium hominum & Angelorum usque dum universale judicium à supremo omnium Arbitro Christi JESU olim crucifixo erit absolutum: Et hoc ad majorem confusionem & damnationem inimicorum crucis Christi: *Ut agnoscant*, ait S. Augustinus, *consilium iniquitatis, qui Dominum majestatis crucifixerunt*; Justis autem & Christum crucifixum hic in terra amantibus, & pro viribus imitantibus singulari erit gaudio & solatio immenso, quibus tunc crux erit ille arcus pacificus, qui post igneum illud diluvium, quod ante judicii diem præcedet, illis erit signum æternæ salutis: *Arcum meum ponam in nubibus*: Et

*Deut. 27. 12.*

*Josue 8. 33.*

*Cornel. hic, Rup. Abb. & alii.*

*S. Aug. serm. 130, de Temp.*

*Et Gen. 9. 13.*

*Cimber Unus pro omnibus.*

Bbbb

S.

N.

**Matth. 24. 30.** S. Matthæus : *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo : Et tunc plangent omnibus terra; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & majestate. O anime mi! ubi ego & tu tunc stabimus, quando venerit Dominus ad judicandum orbem terrarum? Proinde sapius & in animo contrito cum Jobo & Ecclesia dicamus : Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare.*

**Job. 10. 2.**

**S. Chrysoft.**  
de laude S.  
Crucis &c.

2. Quæres hic, Lector prudens, in qua forma signum Filii hominis, hoc est Crux Dominica in die judicii universalis sit apparitura? An ex luculentissimo aëre ab Angelis formanda, an verò ipsa crux materialis, in qua olim Christus Dominus suspensus & mortuus est? **S. S. Chrysoftomus, Thomas Waldensis, Petrus Bessæus & plures alii,** ipsissimam fore crucem, in qua olim salus mundi, hoc est Salvator noster pependit; hæc, inquam, crux materialis ab Angelis afferetur in judicium. Et sicut nunc crux ante Pontificem, Patriarchas, Archiepiscopos & Apostolicum Hungariæ Regem (nunc Carolum Sextum) à ministris deferri solet, sic quoque hæc ipsissima crux materialis, quæ olim in Calvario monte collocata Christo fuit, à ministris cœlestibus in vallem Josaphat comportabitur, qui omnes ejus particulas, atomos & cineres, hinc & inde per orbem dispersos prius in unum colligent, & sic integram ac coadunatam Dominicam crucem ad judicium deferent, quæ exinde finito judicio Angelorum ministerio in caelum elevabitur, ibidem velut perpetuum virtutis trophæum in solamen & gaudium omnium Electorum permanens. Audi verba Sibyllæ:

**Sibylla lib. 6.**  
Oraculorum  
in fine.

*O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!  
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,  
Cum renovata Dei facies ignita micabit.*

**1. Reg. 21. 9.**

3. Venit hic mihi in mentem fulminans ille gladius, quo David quondam impium Goliæ caput in arena amputavit, quem insignem gladium David non duntaxat permagni aestimavit, sed & illum DEO optimo in signum grati animi consecravit, atque in tabernaculo pretioso involutum pallio, velut perenne obtentæ victoriæ monumentum suspendit: *Et dixit Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistai, quem percussisti in valle terebinthi, est involutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huius alter similis, da mihi eum &c.*

**Le Blanc in**  
**Psal. 44. 5.**

Per hunc gladium Hesy chius, Le Blanc & alii Symbolicè S. Crucem subaudiunt, per quam Christus Filius David diabolum & mortem debellavit; quam gloriosam ac victricem rhomphæam ante se-

eundum

cundum Christi Iudicis adventum Archangelus Michael salutis signifer coram infinita & Angelorum & hominum multitudine in suprema aëris regione suspendet: *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo.*

Matth. 24. 30.

Et hoc juxta Cornelium tres ob causas. Primò ut cognoscat mundus, quòd idem sit Iudex, qui pro omnium salute olim in cruce suffixus est. Secundò ut intelligat mundus, quòd Christus per crucem hanc gloriam & potestatem judiciariam sibi meruerit. Tertio ut ostendatur, omnes Christi crucifixi cultores, amatores & imitatores nunc cum ipso in cælo esse exaltandos, ostores verò crucis in æternum reprobandos. Juvat hic audire Kempensem: *Qui modò, inquit, libenter audiunt, & sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione aeternæ damnationis: Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes servi crucis, qui se crucifixo conformarunt in vita, ad Christum accedent Iudicem cum magna fiducia &c. Vide animemi! quanti solatii tunc erit amasse Christum Jesum & hunc crucifixum.*

Thom. Kemp. lib. 2. c. 12. de imit. Chr.

4. Observat ulterius S. Matthæus ex verbis Christi prolatis tanquam aeternæ Veritatis, quòd ad conspectum sanctissimæ crucis tunc sol sit obscurandus, consequenter luna non sit amplius datura lumen suum, nec stellæ, quæ de cælo cadent, omnesque virtutes cælorum sint commovendæ: *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stella cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur.* Et quare hæc omnia?

Matth. 24. 30.

Adverte, mox enim sequitur: *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo.* En stupendam SS. Crucis virtutem! ad cujus conspectum ipse astrorum Rex, qui prius per tot sæcula omnes inferiores stellarum orbis indefessè illuminabat, absque mora, velut fæcus niger, offuscabitur. Ita & S. Augustinus: *Crux, inquit, fulgebit, & obscurabit luminaria cæli, dilapsis sideribus, sola radiabit, ut discas, quoniam crux lunâ lucidior, & sole præclarior sit.* Proinde non incongruè cruci Dominicæ Sole & cunctis astris tunc splendidiore inscribes: *Illuminat, & obscurat.* Ita est: Illuminabit tunc crux Christi non tantum abscondita ab origine mundi, sed & cunctas piorum & electorum mentes, qui se prius in hac mortali vita cum Christo Crucifixo conformarunt, mirè illustrabit, ac summo gaudio & inexplicabili solamine perfundet. Obscurabit autem, & confundet illorum animos, de quibus Apostolus loquitur: *Multi enim ambulat, quos sapè dicebam vobis (nunc autem & stens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, quibus SS. Crucis signum majori erit confusione ac damnationi.* Audi & considera S. Ephraim, qui de hac SS. Crucis apparitione ita discurret: *Sancta crux, inquit, rursus in consummatione sæculi cum secundus illuxerit Domini Salvatoris adventus, primò cum gloria ingenti & Angelorum exercituum*

S. August. serm. 130. de Temp.

Philipp. 3. 18.

S. Ephraim in lib. de vera poenit. cap. 3.

Bbbb 2

infinita

*Infinita multitudine apparebit in cælo, inimicos quidem terrenis ac vexans, fideles autem illuminans, atque latificans, adventumque cælestis Imperatoris annuntians &c.*

Dan. 5. 6.

O peccator! quid tunc erit! Si Balthasar Rex adeo contremuit ad conspectum trium digitorum, qui ipsi in pariete definitivam aeternam damnationis scripserunt sententiam: *Tunc facies regis commutata est &c.* O bone DEUS! quid mihi & tibi erit, anime mi, si mox post obitum nostrum videbimus Iudicem nostrum olim pro salute nostra crucifixum, & tunc ante universale iudicium adventantem S. Crucem & cum ea ipsum Filium Dei venientem in nubibus cæli cum potestate magna & maiestate: *Tunc, videbunt, in quem transfixerunt.*

Jo. 19. 37.

zachar. Bo-  
verius Anna-  
rium Ordinis  
sui ad annum  
1575.

5. Audi mirandam historiam. Bocherii, quod oppidum est provinciae Syracusanæ, etiamnum hodie sanctè conservatur & honoratur magna quædam Christi in cruce pendentis imago ex adverso suggestus ibidem affixa & populo conspicua, cum qua anno Christi 1575. hoc stupendum accidit miraculum. Cùm ibidem zelosissimus P. Franciscus Saccensis Capucinus concionem ad populum faceret, & valde in eos, qui sub spe veniæ impetrandæ in misericordiam divinam eò liberius peccarent, inveheretur, demum ad Crucifixum juxta cathedram suspensum conversus, & mox iterum ad populum: *Cavete*, clamabat, *peccatores à cælesti Dei viventis ira, nam Christi manus, quas isthic cruci affixas cernitis, nisi penitentiam egeritis, à cruce solutæ clavos deserent, & pro clavus gladium apprehendent.* Et quid hic expectas? vix zelosus hic Concionator hæc pronuntiaverat, cùm mox lignea Christi imago ingenti strepitu dexteram manum è cruce divulsit, & quasi jam de obstinatis illis vindictam sumpturus in altum quasi minitans levavit. Populus ut hæc vidit, terrore perclusus tunc pectore divinam imploravit clementiam, ad quod Christus manum retraxit spectantibus omnibus in signum impetratæ veniæ. O peccator! tunc non amplius erit tempus clementiæ, sed justitiæ &c.



CON-